

nudis seu cinctis foliis brevibus, et quidem brevioribus ipso capitulo florum; an in his de synonymis erravi?

Contrà oculos rubros et inflammatos apud nos utuntur rustici decocto *Pyrolæ unifloræ*, quo lavant oculos, vel alii tantùm masticant plantam et irrigant oculos; vidi indè mirum effectum.

De *Rhamno cathartico minore* C. B. plures hodiè botanici plura loquuntur, sed nullus determinat; quæso, inquiras: 1º an flores sint quadrifidi; 2º planta dioica; si utrum obtineas, certum est quòd sit varietas; sin minùs, distincta species.

*Ammi crispum* esse speciem distinctam miror, cùm vix ulla planta foliis crispis sit naturalis.

*Ferula nodiflora*. Ferè omnes Ferulæ à singulis geniculis umbellas proferunt.

*Oxalis flore albo*, distinctissima à luteâ, pedunculis unifloris è radice prognatis absque alio caule, cùm lutea sit caulescens.

*Cerastium semidecandrum*. Apud nos semper habet decem filamenta; sed tantùm alterna cum antheris; crescit in siccissimis collibus, primo vere; et petala huic, non sequenti, emarginata.

*Cistus albidus*, est à C. B. mutuatum.

Pulcherrima de *Cistis* docuisti et misisti; nullus alius potest Cistos extricare, quam tu et alii, qui inter Cistos habitant.